

equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem^{a)} officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ex parte | siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod, licet ordini vestro per privilegia sedis apostolice sit indultum, ut nullus episcopus seu alia | persona ad synodos^{b)} vel forenses conventus nisi pro fide vos ire compellat^{a)} aut in vos vel monasteria seu personas dicti ordinis excommunicationis, | suspensionis aut interdicti sententias promulgare presumat, que, si promulgate fuerint, tamquam contra apostolice sedis indulta prolate decernuntur per | eadem privilegia irrita et inanes, nichilominus tamen plerique prelati et iudices ordinarii ac alii ecclesiarum rectores eadem privilegia, quibus | muniti estis, evacuare superstitionis adinventionibus molientes asserunt vos pro quavis offensa ratione delicti existere fori sui sicque vo|cantes vos ad placita, capitula et penitentiale forum sicut alios clericos seculares vos super hoc multiplici vexatione fatigant, | quamquam excessus vestri tam per generale quam etiam cottidiana^{c)} capitula, que fiunt in singulis monasteriis ordinis vestri, congrua penitentia | puniantur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut presumptionem talium cohibere paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur attendentes, | quod, etsi [ex]^{d)} suscepti cura regiminis de universis sancte matris ecclesie filiis curam et sollicitudinem gerere teneamur, de illis tamen specialius | cogitare nos convenit, qui postpositis vanitatibus seculi iugem inpendunt domino famulatum, ac volentes quieti vestre super premissis pa|terna in posterum sollicitudine providere, ut nullus vos seu monasteriorum vestrorum personas ad synodos vel forenses conventus nisi pro fide | dumtaxat vel huiusmodi placita seu capitula vel forum penitentiale absque mandato sedis apostolice speciali evocare etiam delicti ratione | presumat, maxime cum vos filii abbates punire excessus quoslibet secundum statuta ordinis vestri parati sitis, auctoritate presentium | districtius inhibemus, decernentes eadem auctoritate sententias, si quas hac occasione per presumptionem cuiuspiam promulgari contigerit, irritas | et inanes, salvo in omnibus apostolice sedis mandato. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum | Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Lugduni IIII non. maii pontificatus nostri anno secundo.

131.

Papst Innozenz IV. bestätigt dem Abt und dem Konvent des Zisterzienserklosters Alzelle die Freiheiten und Immunitäten, welche dem Kloster von König Heinrich (VII.) gewährt worden sind.

1245 August 18, Lyon

a) sic B.

b) ad synodos am linken Rand nachgetragen (davor sowie zwischen persona und vel ein y-förmiges Einfügungszeichen): Korrektur von erster (?) Hand mit derselben bzw. ähnlicher Tinte B.

c) cottidiana über der Zeile nachgetragen (zwischen etiam und capitula ein y-förmiges Einfügungszeichen): Korrektur von erster (?) Hand mit derselben bzw. ähnlicher Tinte B.

d) Fehlt B, ergänzt nach den oben angeführten Editionen.